

4º Si vir feminam cognovit, existimans eam esse virginem, sed corruptam invenit : quo casu, neque alia compensatio per se facienda est, sed tantum si pactum aliquid dandi praecessisset vel si mulier ex illa copula, per fornicatorem vel fortuito vulgata, infamiam passa esset. (S. Alph. n. 646)

Ceterum hic conferenda sunt quae de causis excusantibus ab obligatione sponsalium dicentur Vol. II. n. 446 seqq. Haec enim a fortiori excusat ab implenda nuda promissione matrimonii.

§ 5. DE ADULTERIO.

570. I. De personis quibus incumbit restitutio dannorum quae ex adulterio sequuntur, praecipue haec notanda sunt :

1º Si adulter consensum a muliere extorsit, solus tenetur ad reparandum damnum quod inde in maritum, filios legitimos, etc. derivatur.

2º Si uterque in adulterium consensit, uterque tenetur in solidum.

3º Si maritus adulterae consensit, cessat omnis obligatio restituendi, dummodo heredibus necessariis maneat sua pars legitima. (D'Annib. II. n. 281)

4º Posset interdum sola adultera ad damna compensanda teneri : nempe si facile damna mariti et filiorum legitimorum vitare potuisset, prolem adulterinam extra familiam alendo, adulter vero fecit quidquid potuit ut illam ad hanc separationem induceret, atque ita causam damni a se positam efficaciter retractavit : quae tamen hypothesis rarissime verificabitur. (Marres, I. 2. n. 305)

5º Nulla restitutio facienda est quando dubitatur utrum filius sit legitimus an spurius : nam propter matrimonium ipse praesumendus est legitimus donec contrarium certo constet. Ita communis sententia. (Lugo, disp. 13. n. 17) Immo, etiam ubi certo constat prolem esse adulterinam, sed dubitatur quis e duobus adulteris qui cum matre rem habuerint sit illius pater, probabiliter neuter ad restituendum tenetur. (n. 521)

571. II. **Damna** ab adulteris compensanda ea sunt quae *per se* ex eorum scelere proveniunt, ut sunt expensae quas maritus facit in alenda et educanda prole adulterina, et detimenta quae alia familiae membra patiuntur eo quod filius spurius ex ipsa legis dispositione partem cum iis in hereditate patris aliorumve consanguineorum obtineat.

Non sunt autem compensanda damna quae *per accidens* tantum ex eadem causa proveniunt, ex. gr. si aliqui consanguinei, ex affectu erga spurium, ei quaedam donant vel testamento relinquunt. (Lehmk. I. n. 998)

Ipse filius adulterinus, si certo novit suam condicionem, nequit sine injustitia retinere vel hereditatem lege delatam, ut patet, neque ipsas donationes sibi unice tamquam legitimo factas, ac proinde ob substantialem errorem invalidas. Retinere tamen posset dona exigui valoris vel quae ipsis principaliter propter alias rationes tribui videantur.

III. De modo quo restitutio haec saepe perdifficilis peragatur, animadvertisenda sunt praecipue sequentia :

1º Licet a DD. quidam casus recenseantur in quibus adultera crimen suum manifestare teneatur ad vitandam damna ex eo secutura (cfr. Lugo, I. c. n. 31 seqq.), tamen practice vix umquam exstabat hujusmodi obligatio. Ratio est, quod ista manifestatio plerumque afferret damna tanta ut a bonis fortunae restituendis excusarent, nempe odium mariti, discordias domesticas, gravem infamiam. Insuper eadem plerumque foret inefficax : nam, ut habet Lugo (I. c. n. 62) cum communi sententia, filius non tenetur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, nisi cum adsunt talia motiva ut in foro externo a judice admitterentur, quod certe non contingit quando opus est ut ipsa adultera rem occultam manifestet. (Ball. P. n. 316) Tandem interdum merito supponere poterit adultera maritum et filios malle ut ipsa crimen suum ipsis non manifestet, cum hoc fieri nequeat sine communi dolore et infamia et saepe sine fructu. (Lugo, I. c. n. 58)

2º Seclusa hac manifestatione, debet adultera restitutio facere praesertim augendo, pro condicione sua, labore vel industriam in familia administranda, aut sumptus suos minuendo. Insuper, si propria bona habet, de iis in favorem mariti et legitimae proles disponat : cendum tamen, ne favendo quibusdam cum spurii detimento, suspicionem criminis ingerat vel odia excitet. (Ball. P. n. 321)

3º Saepe adulter quoque a restitutio excusabitur in toto vel ex parte, praesertim quia haec fieri non poterit sine periculo vitae, dispenso famae, turbatione et discordiis familiarum. (S. Alph. n. 655)

§ 6. DE TRIBUTIS.

572. NOTIONES. Tributorum nomine hic veniunt quaecumque cives solvere jubentur ut communi necessitatibus vel utilitati contribuant. Distinguuntur, saltem in nostris regionibus, tributa directa et indirecta. *Directa* sunt ea quae primario afficiunt personas, sive ratione bonorum immobilium et facultatum (contributions foncière et personnelle), sive ratione industriae vel commercii (patente). *Indirecta* vero sunt ea quae immediate afficiunt bona. Haec pendenda sunt occasione mutationis

jurium et interventus tribunalis civilis vel commercialis (droits de succession et de mutation, d'enregistrement, de timbre, de greffe, etc.), occasione transvectionis mercium (droits de douane), occasione fabricationis quarumdam mercium, ut cerevisiae vel liquorum (droits d'accises). Cfr. Waffelaert, de Just. II. n. 414.

573. ASSERTA. I. Certum est non deberi in conscientia **tributa injusta** etiam quando petuntur; si autem **injusta** forent tantum quoad excessum, non deberentur nisi quoad partem in qua justa sunt. (Lugo, disp. 36. n. 39)

Neque censemus, in foro conscientiae, dari obligationem solvendi tributa *probabiliter* **injusta**. Ratio est quod, licet Superiori parentum sit quando jus probabile habet ad praeceptum imponendum, id tamen non videtur obtainere quando, ut fit in tributis, res *praecepta difficilis* est vel grave incommodum subdito affert. (Lugo, l. c. n. 91) Soluta tamen repetere, puta per occultam compensationem, non licet, quia Status ea legitimate acquisivit, nixus contraria probabilitate.

Injusta autem censenda sunt tributa, si vel sine causa justa feruntur, vel nimia sunt pro necessitate publica cui sunt applicanda, vel in iis non servantur normae justitiae distributivae. (n. 462) Attamen, ne temere pronuntietur leges quasdam tributorum esse injustas, attende :

1º In omni systemate percipiendi tributa contingere ut quidam cives partem majorem solvere debeant quam quae ab iis, attenta proportione eorum facultatum, solvenda forent: id enim ex necessitate ferendi regulas generales de circumstantiis maxime variis in omni lege humana sequitur. (n. 113) Verum justitiae distributivae adversatur lex tributorum e qua fit ut *notabilis pars populi* onus ferre debeat quod, spectatis singulorum facultatibus, alii parti esset imponendum. Ita censemus hodie contingere ubi fere ab omni tributo immunes sunt obligationes et actiones quae jam magnam partem bonorum pro pluribus civibus constituunt.

2º Perfectiorem proportionem inter tributa et singulorum facultates quandoque omitti posse ad vitanda gravia incommoda alias generis. Ita, licet tributa singulis imposta pro redditibus suis (impôt sur le revenu) in se maxime conformia sint justitiae distributivae, merito iis *praeferriri* potest aliud sistema ad vitandam maximam dependentiam quae civibus imponeretur ad exactores tributorum aliosve qui taxare deberent singulorum facultates (Lugo, l. c. n. 25), potissimum si populus vehementer talem dependentiam abhorret vel, ob aestum partium politicarum, timendae forent multae *injustitiae* in facultatibus taxandis.

3º Quandoque fieri compensationem indirectam in favorem eorum qui tributorum distributione laedi videantur. Ita, quamvis tributa imposta rebus ad victum necessariis fere aequale onus imponant divitibus

et pauperioribus, puta operariis et artificibus, hi fere semper obtinebunt compensationem dum majore salario operas suas locabunt. Vix enim continget ut divites, vel volentes, vel inviti, non acquiescant justae pauperiorum exigentiae ut, crescente ob tributa pretio rerum victui necessariarum, eadem proportione crescat salarium quo operarii victum comparent.

II. Certum est posse legislatorem supremum vel eos qui ab eo hanc potestatem habent, edere leges tributorum quae subditos obligent ad ea solvenda, etiam antequam exigantur, vel quae saltem in conscientia obligent ad solvenda ea quae exacta fuerint. Nam legislatori civili potestas obligandi in conscientia non deest, neque aliquid injusti in tali praecepto cernitur. Cfr. n. 141.

III. Certum est nullam hodie dari obligationem ex justitia ad solvenda tributa quaelibet, antequam a fisci praepositis pars quae singulis incumbit fuerit determinata. Ratio est, quod ipsae leges hodiernae fisco jura attribuunt tantum ad ea quae singuli cives, pro condicione et facultatibus suis, solvere jussi sint. Neque per se viget obligatio in conscientia ad declarandas res tributo subjectas. (Waffelaert, l. c. n. 421)

574. IV. Probabilius leges tributorum, quales hodie in plerisque regionibus vigent, sunt **mere poenales**: quare obligant tantum ad solvendum vel tributum vel muletam quae fraudulentibus imponatur. Rationes praecipuae hujus sententiae sunt :

1º Jam antiquis temporibus non defuere DD. qui censerent leges illas ut plurimum esse mere poenales. (Lugo, l. c. n. 38) Jamvero hodie facilis idem admitti potest, cum legislatores civiles soleant declarare se nullam obligationem in conscientia imponere velle: quare nulla obligatio admittenda est ex lege civili, nisi bono communi prorsus exigatur. Cfr. n. 141. Talis exigentia non videtur adesse in casu: siquidem, ingenti numero eorum qui exigendis tributis praeficiuntur et tributorum quantitate, satis oneribus publicis providetur. Solet etiam haec quantitas, propter fraudes praevistas, in antecessum augeri.

2º Ita interpretantur tributorum leges, in regionibus nostris, homines etiam timorati. Nullam enim culpam in conscientia a se admissam esse opinantur si quando tributa directa, etiam taxata, non solvunt quia non exiguntur (quod sane perrarum est), vel si indirecta, aliquo artificio omissave declaratione, effugerunt. Quodsi fisci exactores deceperunt, mendacii, non autem *injustitiae* reos se esse existimant. Experientia autem constat, non obstante hac praxi, efficaciter subveniri necessitatibus communibus reipublicae.

3º Saltem probabile est tributa hodierna in plerisque Statibus et civitatibus exceedere justum modum. Jam saec. XVIIº, teste Card. de Lugo (l. c. n. 89), multa tributa de facto injusta a probis et prudentibus censebantur. Hoc autem a fortiori nostris temporibus opinari licet, dum tributa solvenda plurimum aucta sunt, impenduntur autem saepissime, magna ex parte, rebus exiguae utilitatis vel plane superfluis, puta in alendis ingentibus exercitibus, in remunerandis inutilibus officialibus, in erigendis aedificiis sumptuosis, in fovendis theatris ac ludis, etc. Ideo merito existimare quisque potest sufficienter a se in utilitatem publicam conferri, licet hinc inde aliquid fisco subtrahat.

Frustra quidam AA. recentes (Marres, n. 196; Waffelaert, n. 419), ut tributa hodie e stricta justitia solvenda esse demonstrent, recurrent ad tacitum contractum quem populus faceret eligendo eos qui tributorum leges ferrent; unde cives ad ea solvenda tenerentur, perinde ac si mandatum dedissent alicui ad expensas suo nomine facendas. Nam facultas quae electoribus datur ad designandas personas quibus insit potestas legislativa, non mutat naturam legum quae ab ipsis feruntur, neque magis in tributa solvenda quam in reliquias leges servandas consentit populus. Quin et universalis persuasio, qua in nostris regionibus existimant cives eas leges esse mere poenales, liquido ostendit quantum ab eorum mente absit hujusmodi quasi-contractus.

Sententiam nostram, saltem ut probabilem, multi AA. hodierni tuerunt, ex. gr. Ball. P. (tr. de Leg. n. 146), Crolly (de Just. et J. t. 3. disp. 8. dub. 11), Frassinetti (t. l. diss. 7), Berardi (Prax. Conf. nn. 1651 et 3155), Bucceroni (de Leg. n. 81). Plerique tamen alii opinantur tributa jam ab exactore petita, dummodo justa sint, esse in conscientia solvenda et, si fraudata fuerint, restituenda; in praxi autem multum de severitate hujus sententiae remittunt.

Ex hac benignioris sententiae probabilitate sequitur per se non pecare qui tributa defraudant, merces nullo vectigali soluto in regionem inferunt, et similia. Plerumque tamen in malo statu versantur qui hujusmodi fraudibus habitualiter operam praestant, sive ob animum quem gerunt sese, etiam adhibita vi et caede, contra exactores tributorum tuendi, sive quia se ac familiam suam, sine sufficienti ratione, periculo infamiae et inopiae exponunt.

Practice igitur ad restitutionem non tenentur qui tributa fraudarunt, nisi qui exactores corruerunt ne tributa exigant quae isti, ob officium susceptum, exigere tenentur. Cfr. n. 545.

N. B. Cavendum ne inter tributa reponantur ea quae Statui solvenda sunt ob quasdam operas quas Status in favorem singulorum praestandas suscipit, ex. gr. in personis, mercibus, litteris vehendis. Hic enim verus contractus initur inter cives qui has operas postulant et Statum

qui in iis praestandis agit quasi privatus homo negotiationem vel industria exercens. Haberi tamen possunt tamquam mere poenalia plurima statuta quae ab administratoribus feruntur, ex. gr. ne litteris inserantur pecuniae, ne litterae mercibus transvehendis apponantur, ne cum eadem tessera (billet d'aller et retour) unus ad aliquem locum via ferrea tendat, alter ab eodem redeat, etc. Talia enim etiam maxime timorati, saltem in Belgio, infringere solent sine ullo scrupulo, rati sufficere ut mulctam, a transgressoribus, si deprehendantur, exigendam solvant. Neque irrationalis videtur talis existimatio. Hujusmodi statuta plurima sunt et a plerisque valde imperfecte cognosci possunt. Quare, communis consensu omnium, etiam administratorum, factum est ut eadem serventur ad modum legum civilium, quibuscum magnam affinitatem habent. Non esset ergo restitutioni obnoxius nisi qui in ipso contractu quem init fraudem adhiberet, puta debitum falsa moneta solvendo, litteris falsa signa (timbres) apponendo etc. vel qui praepositos corrumperet ne exigerent quae ex officio exigere deberent ita ut Status non obtineret ea ad quae jus haberet. Cfr. Waffelaert, l. c. n. 421.

575. V. Probabilis non peccant contra justitiam qui, in conficiendis instrumentis venditionis, in solvendis juribus successionis, etc. **declarant multo minorem valorem** rerum quae tributo subsunt, puta paulo supra dimidium. Nam, in tanta tributorum exactione, Status non videtur jus habere ut integra solvantur; insuper, cum talis diminuta declaratio communiter adhibeatur, jam statuuntur tributa sufficientia ut, non obstante diminutione, communibus necessitatibus prospiciatur. Neque sinit aequitas ut, improbis communiter minus solventibus, soli timorati gravioribus tributis onerentur. Idem valet non tantum pro privatis, sed et pro notariis: nam istorum munus, quamvis a Statu conferatur, minime eos ex justitia obligat ad curandas fisci utilitates. Immo nec mendacium in tali declaratione jam reperiri videtur: cum, ob usum communem, satis pateat valorem declaratum illum esse qui, ex recepta consuetudine, tributo subest. Quare, utendo restrictione non pure mentali, liceret, etiam juramento, affirmare omnia rite esse declarata. (Gury, II. n. 28; Ball. P. tract. 9. c. 3. n. 87)

Verum autem mendacium videntur committere qui, ad minuenda jura successionis, producunt syngrapha ex. gr. medicorum, testantium se multo majorem pecuniae summam accepisse quam reapse acceperint. Nihilominus, ob rationem praedictam, ab injustitia et restitutione immunes dici possunt.